



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE
BOLLETTINO

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 0503

Lunedì 28.08.2000

**LETTERA DEL SANTO PADRE AL SUO INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL
CONGRESSO EUCARISTICO NAZIONALE DELL'ARGENTINA (CÓRDOBA, 8-10 SETTEMBRE
2000)**

LETTERA DEL SANTO PADRE AL SUO INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL CONGRESSO
EUCHARISTICO NAZIONALE DELL'ARGENTINA (CÓRDOBA, 8-10 SETTEMBRE 2000)

Il Santo Padre ha nominato in data 13 maggio 2000 (cfr. Bollettino N.300) l'Em.mo Card. Rosalio José Castillo Lara, Presidente emerito della Pontificia Commissione per lo Stato della Città del Vaticano, suo Inviato Speciale al Congresso Eucaristico Nazionale dell'Argentina, in programma a Córdoba nei giorni 8-10 settembre prossimo.

Il Cardinale Castillo Lara sarà accompagnato da una Missione composta da:

Rev. Sac. Angel Giaccaglia, del clero diocesano di Córdoba;

Rev. Sac. Alberto Mir, del clero diocesano di Córdoba;

Rev. Sac. Raúl Biord Castillo, S.D.B., Rettore dell'Istituto Universitario Salesiano *Padre Isaías Ojeda*, in Venezuela.

Pubblichiamo di seguito la Lettera che il Santo Padre ha inviato al suo Inviato Speciale:

• **LETTERA DEL SANTO PADRE**

Venerabili Fratri Nostro

ROSALIO J. S.R.E. Card. CASTILLO LARA

Praesidi emerito Pontificiae Commissionis

pro Civitate Vaticana

Ecclesiae traditio ubique terrarum congruentem tribuere consuevit honorem Christo Iesu, sub panis vinique speciebus recondito, unde hoc sacro convivio non tantum christifidelium vita nutriatur, verum etiam cuiusque christianae familiae vinculum roboretur et significetur.

Saluberrimo quidem de consilio novimus Sacros Argentinae Praesules, simul cum universo suo populo, ad maius momentum Magno universae Ecclesiae iubilaeo tribuendum, Congressum Eucharisticum Nationalem apparatus esse, hac inspiratos sententia: "*Obviam Christo: heri, hodie, semper... Cognoscimus Eum in fractione Panis!*". Cupimus et Nos ut hae pietatis testificationes confirmetur omniumque fides concitetur, quo latius pleniusque hodierni homines spiritali fruantur salute et ipsi hoc divino de Sacramento uberrimos capiant fructus.

Itaque quo celebratio haec clarius peragatur et magnificentius, eminentem virum mittere statuimus, qui personam Nostram tueatur Nostramque simul mentem ostendat. Ad te autem, Venerabilis Frater Noster, cogitationem Nostram admovimus, qui aptissimus dignusque visus es ad ministerium hoc sustinendum et efficaciter explendum, cum sollertem actuositatem tuam Ipsi et officia prope Nos laudabiliter explicata probe noverimus. Ideo te **Missum Extraordinarium** constituimus ad hunc Congressum Eucharisticum, qui in Argentina, nominatim Cordubae, hoc anno habebitur inter dies VIII et X mensis Septembris.

Ut autem ex hoc Congressu copiosissimi unitatis et pacis fructus percipiantur, Deum plurima prece obtestamur; et dum haec cogitata Nostra tecum amanter communicamus, volumus ut haec verba Nostra transmittenda studeas et cohortationem ad Eucharistiae vehementiorem cultum itemque omnibus participibus benevolentiam Nostram significes.

Benedictionem tandem Apostolicam, superni iuvaminis nuntiam et felicioris aevi pignus, cunctis impertimus Congressui adstantibus, sacris Praesulibus, presbyteris et religiosis, laicis ipsis fidelibus, quos omnes benignissime quoque in Domino consalutamus.

Ex Aedibus Vaticanis, die V mensis Augusti, anno MM, Pontificatus Nostri vicesimo secundo.

IOANNES PAULUS II

[01747-07.01] [Testo originale: Latino]
